

# CINERELLA

SEU  
SOCCULUS VITREUS



FUIT OLYM VIR nōbilis quī secundās nūptiās init cum muliere quam īsolentissimam superbissimamque umquam vīderat orbis. Hæc duās habēbat filiās, pariter mōrātās atque ipsa, perque omnia suī similēs. Virō autem filia ūna erat, puella ēgregiæ suāvitatis ac bonitatis, utpote quæ optimōs mātris mōrēs referret<sup>1</sup>. Nūptiis vixdum celebrātīs, noverca<sup>2</sup> stomachum<sup>3</sup> ērūpit in prīvignam<sup>4</sup>. Nequībat enim virtūtem puellæ tolerāre, juxtā quam patēbat quam improbabē duæ ipsius filiæ essent. Eī negōtia domestica sordidissima cūranda trādidit : ejus erat vāsa ēscāria<sup>5</sup> tergēre, gradūs lavāre, dominæ filiārumque cubicula fricāre. Puella in habitatiōne

<sup>1</sup> mōrēs parentis referre : parentī similis esse, eōdem mōre sē gerere.

<sup>2</sup> noverca : secunda uxor patris.

<sup>3</sup> stomachus : summa pars ventris aut trānslātivē īra, fastidium, indignatiō.

<sup>4</sup> prīvigna : filia conjugis ex priōre mātrimoniō, filiastra.

<sup>5</sup> vāsa ēscāria : vāsa cibāria, i. e. vāsa ē quibus hominēs edunt bibuntque.

subtēgulānēā summārum ædium super culcitam<sup>1</sup> strāmineam<sup>2</sup> misellam cubābat, sorōrēs in cubiculīs tessellātū<sup>3</sup> ligneō cōstrātis, ubi lectōs lautissimōs<sup>4</sup> habēbant, necnōn specula in quibus sē ā vertice capitis ad īmōs tālōs spectārent. Misera adulēscēntula cūncta æquō animō ferēbat neque audēbat apud patrem querī, quem putābat increpitūrum<sup>5</sup> sē — adeō uxōrius erat.

Domesticis operīs dēfuncta ad focum inter cinerēs sedēre solēbat, quā rē domī sāpius ‘Cinerea Pȳga<sup>6</sup>’ cognōminābātur, quamquam ā sorōre minōre, quæ nōn tam improba erat quam major, ‘Cinerella’ vocābātur. Vērumtamē Cinerella vestīmentīs obsolētīs indūta longē pulchrior erat quam sorōrēs vel sūmptuōsissimē vestītæ.



Forte ēvēnit ut filius rēgis epulās et saltatiōnem apparāret, ad quās optimum quemque cīvem rēgnī vocāvit : etiam sorōrēs superbæ duæ, quās suprā dīximus, invītātæ sunt, nam in illis regiōnibus bene audiēbant<sup>7</sup>. Jam valdē gaudentēs tōtæ in vestibus cōmptibus<sup>8</sup> que decentissimīs ēligendīs versantur. Quā rē Cinerella novīs negōtiīs gravāta est : ejus erat sorōrum

<sup>1</sup> *culcita* : lectus humilis, cubile molle (sine fundāmentō fabrīlī).

<sup>2</sup> *strāmineus* : < strāmen *vel* palea, i. e. pars cereālium nōn edibilis.

<sup>3</sup> *tessellātus* : opus ex variis lapidibus vel lāminīs ligneīs cōflectum.

<sup>4</sup> *lautus* : pulcher, splendidus, ēlegāns, opiparus.

<sup>5</sup> *increpāre* : acerbīs verbīs castīgāre, reprehendere, objūrgāre.

<sup>6</sup> *pȳga seu pūga* : pars corporis posterior carnōsa, clūnēs.

<sup>7</sup> *bene audīre* : bonā fāmā frui, in bonā existimatiōne esse.

<sup>8</sup> *cōmptus* : ḫrnātus capitīs, modus quō capillī cōmptī i. e. ḫrnātī sunt.

lintea ferrō calidō lēvigāre et limbōs manicārum<sup>1</sup> corrūgāre<sup>2</sup>.

Nihil nisi vestēs loquēbantur, quibus sē exōrnāre volēbant : soror major “Ego,” inquit, “stolam<sup>3</sup> ex heteromāllō<sup>4</sup> rubrō cum ḫornāmentīs meīs denticulātīs<sup>5</sup> geram.” Et minor “Equidem,” inquit, “etsī cottidiānam tantummodo castulam<sup>6</sup> geram, pallium tamen induam flōribus intextum aureīs, tiāramque meam gemmātam, quæ vulgāris dīcī haud potest.”

Sorōrēs concinnātrīcem optimam adhibuērunt, quæ calyprās<sup>7</sup> duōrum graduum sibi super caput ērigeret. Item muscās<sup>8</sup> textilēs ēmērunt dē vestificā perītissimā. Dein Cinerellam vocāvērunt rogāvēruntque quid sentīret, quippe quæ optimō ūterētur jūdiciō. Cinerella cōnsilia dedit optima atque etiam operam in capillīs concinnandīs suā sponte obtulit, quam sorōrēs haud invītāe accēpērunt. At dum capillōs concinnat, istāe “Cinerella, dīc,” inquiunt, “nōnne, sī chorēā<sup>9</sup> adīrēs, gaudērēs ?” Quibus ea “Bonē sorōrēs,” respondit, “mē plānē irrīdētis : tantō mē vix dignor honōre.” At istāe : “Est ut dīcis : rīdiculum profectō esset Cineream Pȳgam saltantem vidēre.” Quævīs alia iīs capillōs prāvē composuisset sed Cinerella, quoniam bona erat, perpulchrē composuit. Tantā quidem lātitiā perfūsae sunt ut, bīduō ferē, nihil sūmerent cibī. Vittās<sup>10</sup>, quibus sibi medium corpus gracilius reddere

<sup>1</sup> manica : pars vestis quā bracchia teguntur, pellis quā manūs amicīmus.

<sup>2</sup> corrūgāre : in rūgās seu plicās fōrmāre, reddere undulātum, crispāre.

<sup>3</sup> stola : vestis ēlegāns quā fēmina ab humerīs ad pedēs tegitur.

<sup>4</sup> heteromāllum : tēla pretiōsa alterā parte villōsa. Ex illō fiunt rēgum pallē.

<sup>5</sup> denticulātus : < denticula i. e. genus tēlae pulchræ, albæ et arachnēæ.

<sup>6</sup> castula : vestis quæ crūra tegit. Castula Scōtōrum *kilt* vocātur.

<sup>7</sup> calyptra : mitra līnea (monachæ sibi caput calyprā lātā et albā tegunt).

<sup>8</sup> musca : orbiculus textilis nævō similis (Gallæ muscās adhibēbant vultū).

<sup>9</sup> chorēā (celebrēs) : saltātiō, chorēārum celebrātiō/celebritās.

<sup>10</sup> vitta : cingulum textile, ligāmentum, fascia, tānia.

parabant, tantā vī tetendērunt ut plūs duodecim rūperint ; atque ā māne ad vesperam ante specula stābant.

Illūxit tandem diēs auspīcatissima : profectæ sunt sororēs, quās Cinerella quamdiū potuit oculīs prōsecūta est. Ut autem ē cōspectū ēvolāvērunt, flēre cœpit. Atque ubi mātrīna<sup>1</sup> eam forte vīdit effūsē flentem, causam lacrimārum quæsīvit. Tum puella “Nimium velim...nimium velim...” ingemināvit, at tantum plorābat ut pergere nequīret. Mātrīna autem (quæ maga<sup>2</sup> erat) : “Nōnne id cupis saltātum īre ?” Cui Cinerella suspīrāns “Ēheu,” respondit, “maximē.” Tum maga mātrīna : “Rēctē quidem — sī modo tē puellam probam præstiteris, ego cūrābō ut intersīs.” Et cum dictō filiolam<sup>3</sup> ad cubiculum redūxit atque “Exī,” inquit, “in hortum, mihiq[ue] cucurbitam<sup>4</sup> refer.” Cinerella ē vestigiō<sup>5</sup> ēgressa, quamquam vix dīvīnārē<sup>6</sup> poterat quid ad chorēas petendās adjuvāre posset, cucurbitam carpsit quam maximam reperīre potuit, eamque ad mātrīnam rettulit.

Tum mātrīna olus cavāvit et, cortice tantum relictō, virgā suā leviter pulsāvit : cucurbita statim in rædam auream conversa est lautissimam. Tum mūscipulam<sup>7</sup> īspexit ubi sex mūsculōs<sup>8</sup> repperit, omnēsque adhūc vīvōs. Jussit Cinerellam portulam mūscipulæ paululum sublevāre. Quō factō, ut quisque ēvāserat mūsculus, eum virgā suā lēniter percussum pūnctō temporis in equum fōrmōsum mūtābat. Sic mox factæ

<sup>1</sup> mātrīna : mulier quæ puerum (filiolum) ē sacrō baptismī fonte suscipit.

<sup>2</sup> maga : incantātrīx, fēmina dīvīna (vōx mediævālis fuit *fāda*, gallicē ‘fée’).

<sup>3</sup> filiola : parva filia aut, mōre catholicō, puella ē sacrō fonte suscepta.

<sup>4</sup> cucurbita : pēpō, magnum olus globōsum (ē quō lanterna effīci potest).

<sup>5</sup> ē vestigiō : cōfestim, exemplū, maximā celeritatē, sine morā.

<sup>6</sup> dīvīnārē : conjicere, conjectāre, perspicere, per sē intellegere seu præscīre.

<sup>7</sup> mūscipula : capsula (aut cavea, aut pedica) quā mūrēs capiuntur.

<sup>8</sup> mūsculus : parvus mūs, sōrex (rattus, contrā, est magnus mūs).

sunt elegantissimæ sējugæ<sup>1</sup> equōrum guttātōrum<sup>2</sup> lepidō mūrīnō colōre.

Cum autem mātrīna dubitāret ex quō rædārium<sup>3</sup> efficeret, Cinerella “Ibō vīsum,” inquit, “sitne in mūscipulā alterā, ad rattōs capiendōs īstrūctā, rattus ex quō rædārium efficiāmus.”



Et mātrīna : “Placet, īspice !” Cinerella igitur rattōrum rettulit mūscipulam, intrā quam erant trēs rattī crassī. Ex hīs maga ūnum dēlēgit bene barbātum, quī ab eā tāctus trānsfōrmātus est in rædārium rōbustum pulchrōque praeeditum mystāce, quō pulchriōr vix umquam vīsus est. Tum iterum puellæ “Exī,” inquit, “in hortum ! Ibi post nāsiternam<sup>4</sup> lacertās<sup>5</sup> sex inveniēs, quās örō mihi afferās.” Quæ allātæ mūtātæ sunt ā mātrīnā in sex pedisequōs<sup>6</sup> tunicīs segmentātīs vestītōs, quī ilicō pulpitum rædæ postīcum<sup>7</sup> scandērunt, ibique tam immōtī hæsērunt quam sī in omnī vītā nihil aliud fēcissent. Tandem mātrīna Cinerellæ : “Bene quidem, em tibi quī<sup>8</sup> ad chorēas tē cōferās ! Age dīc : nōnne gaudēs ?” Ad quod puella “Gau-deō,” inquit, “at num hīs misellīs vestibus eam...?” Mātrīna virginem vix virgā tetigerat cum vestēs ejus conversæ sunt in

<sup>1</sup> sējugæ : sex equī ūnā jūnctī, prōtēlum sex equōrum.

<sup>2</sup> guttātus : (dē equō) cuius pellis albīs guttīs seu nūbēculīs distinguitur.

<sup>3</sup> rædārius : aurīga, gubernātor equōrum, quī rædam vel currum regit.

<sup>4</sup> nāsiterna : vās quō hortulānus aquam ad plantās rigandās portat.

<sup>5</sup> lacerta : parva serpēns quadrupēs, satis bella, quæ diū immōta in sōle jacet.

<sup>6</sup> pedisequus : servus quī dominum pedibus prōsequitur.

<sup>7</sup> posticus : quī post aliquid situs est (hīc post rædam situs).

<sup>8</sup> quī : quōmodo, quā ratiōne, quō īstrūmentō, quā methodō.

stolam ex pannō aureō argenteōque, gemmīs lapillīsque distīnctō. Tum eī bīnōs soccōs<sup>1</sup> vitreōs dōnō dedit, quibus nihil umquam vīsum est pulchrius. Sīc ūrnāta virgō in rēdam īscendit. Mātrīna in prīmīs monuit nē ultrā mediam noctis hōram celebrātiōnī chorēarum interforet, quod, sī eam hōram vel mōmentō temporis excessisset, rēda rūrsus in cucurbitam, equī in mūrēs, pedisequī in lacertās mūtārentur, pannulī<sup>2</sup> obsolētī in priōrem fōrmam revocārentur.

Mātrīnæ igitur spondet sē nōn omissūram ā chorēis ante mediam noctem abīre. Tandem lētitiā ēlāta proficīscitur. Filius rēgis, ubi virgō omnīnō ignōta (sed plānē summō locō nāta) modo advēnisse nūntiātur, ipse ad eam salūtandam accurrit. Manum offert puellæ dē rēdā dēsilientī, eamque in aulam dēdūcit ubi hospitēs sunt. Tum magnum fit silentium : saltārī dēsinitur, conticēscunt fidēs<sup>3</sup>, tantā enim cūriōsitatē cūncī eximiam novāe virginis speciem contemplantur. Rūmor tantum cōnfūsus audiēbātur : “Prō ! Quam pulchra est !” Ipse rēx, quamvīs atāte gravis, nihilō minus oculis in eā fixīs rēginā susurrābat sē diū puellam fōrmōsiōrem et amābiliōrem nōn vīdisse. Omnes fēminæ cōmptum vestēsque virginis attentē cōnsiderābant, concupientēs sibi postrīdiē similia parāre, sī modo textilia satis pulchra, opificēs satis sollertēs<sup>4</sup> invenīrī possent. Filius rēgis, cum puellam in locō aulæ ēditissimō<sup>5</sup> cōnsidere jussisset, ūrāvit ut chorēas sēcum ageret.

Illa tantā venustāte saltāvit ut etiam majōrem cūnctōrum

<sup>1</sup> **soccus** : calceus humilis et commodus quī domī geritur.


<sup>2</sup> **pannulī** : vestēs obsolētæ quās pauperēs gerunt, veterāmenta.

<sup>3</sup> **fidēs** : lyræ vel (Peraltī et hodiernō tempore) violinæ.

<sup>4</sup> **sollers** : in arte quādam excellēns, callidus, peritus, expertus.

<sup>5</sup> **ēditus** : honōratus, altus, ēminēns, celsus, cōspicuus.

admīratiōnem excitāverit. Tum cēnula lūculenta<sup>1</sup> allāta est, quam rēgius adulēscēns nē gustāvit quidem, quod tōtus ejus animus in cōnsideratiōne puellæ versābātur. Quæ autem, cum juxtā sorōrēs suās cōnsēdisset eāsque permultīs blanditiīs salūtāasset, iīs māla aurantia<sup>2</sup> ac citrea impertīvit<sup>3</sup> quæ ipsa modo ā rēgulō accēperat. Quā rē istæ valdē admīrātæ sunt : puella enim iīs omnīnō nova erat. Dum vērō cōmiter inter sē cōnfābulantur, audīvit Cinerella signum hōræ ūndecimæ et dōdrantis<sup>4</sup> pulsū æris<sup>5</sup> darī. Statim igitur ūniversum cōtum inclīnatō corpore persalūtāvit et quam celerrimē discessit.



Ubi domum advēnit, sine morā mātrīnam adiit cui, perāctīs grātiīs, nūntiāvit sē posterō diē iterum chorēis interesse velle, quia ā filiō rēgis invitāta esset. Mātrīnae omnia ex ūrdine nārrābat quæ inter chorēas celebrēs acciderant cum, ecce, duæ sorōrēs ōstium pulsant. Quō reclūsō<sup>6</sup> Cinerella ōscitāns<sup>7</sup> “Quamdiū,” inquit, “āfūistis !” et, quasi modo expergēfacta<sup>8</sup> esset, oculōs fricat et pandiculātūr<sup>9</sup> (quamquam rē vērā, cum

<sup>1</sup>lūculentus : splendidus, pulcher, amōenus, laetus.

<sup>2</sup>mālum aurantium seu aureum : pōnum rotundum flammeī colōris.

<sup>3</sup>impertīre seu impertīrī : dare, commūnicāre, ministrāre.

<sup>4</sup>dōdrāns :  $\frac{3}{4}$  = trēs quadrantēs = trēs quārtæ partēs.

<sup>5</sup>æs : metallum (mixtūra cuprī et stannī) ; campāna turris vel hōrologii.

<sup>6</sup>reclūdere : aperīre, patefacere, reserāre (claudere ↔ reclūdere).

<sup>7</sup>ōscitāre : ōre apertō spīritum longum trahere, ut quī somnō capitūr.

<sup>8</sup>expergēfacere : ē somnō excitāre/suscitāre, efficere ut expergīscātur.

<sup>9</sup>pandiculārī : corpus suum extendere, ut quī somnum pellere vult.